

Acclamatio votiva, quam
dum vir præclarissimus &
excellentissimus dn. m.
Si...

Ringius, Petrus Johannis,

1 Ic 1688 Tålpo, Simon



National Library
of Sweden

ACCLAMATIO VOTIVA,

Quam
Dum VIR,

Praclarissimus & Excellentissimus

DN. M. SIMON *Sälpo*

Logices ac Metaph. Professor celeberrimus,

in Templo Cathedrali Aboensi

SCEPTRA

RECTORATUS ACADEMICI


Solemniter capefferet.

Anno MDCLXXXVIII die XXVIII Junii, fausti ominis ergo
ejus fundebat cliens humilimus.

ABOÆ, Impr. apud JOHANNEM WALLIUM, A. T.



1688



P Rincipi terrarum Populo Romano quondam ustra
tum fuisse memorant testes temporum historiae,
quod antequam Patres Reipublicae res gerere, urbi-
bus praesesse dignitatesque serio administrare incipe-
rent, votivos suos applausus funderent, & in illos con-
ferrent subditi quivis pii. Hoc ego secreta affirmatoine pensitans,
dum conspicio nostrae Reip. hoc est Templi Eruditionis ac delubri
Praesidem hactenus ac *Praesulem Amplissimum* Mag. DANIELEM
ACHRELIIUM claves ac insignia Academicae, quae sub exitum anni
elapsi, fidei ipsius commiserant Academiae consilii suffragia, depo-
nere, & in humeros *Praeclarissimi ac Excellentissimi* Dn. Professoris
Mag. SIMONIS *R. P. D.* derivare, nec potui meam vocem
premere, & intra peioris claustra tenere, quin iam etiam commu-
ni consentui pareat. Certe existimavi hoc pii discipuli officium non
esse, diem illum omnino tacitum transigere, quo tam grave Reipub-
licae regimen seiscipit ipse Praeceptor. Republicam dico, non
talem, qualem inter Romanos olim viguisse norunt temporum me-
moriae, verum illi plane diversam, cujus nimirum Excellentiam ac di-
gnitatem, non in muris, moenibus aut certis terminis, quae haud dif-
ficulter possunt mutari, sed in aeternae sapientiae amplexibus collo-
cavit Deus immortalis. Et ut haec sola vetustatem ferens nunquam
senescat, ita nec eorum augusta fama, qui ei praesunt. Quippe
post abitum eorum, (ut haec lex cunctis mortalibus sit posita, quod
aliquando ex his terris exeant) vivit illa, vivit inquam perpetuo in me-
moria mortalium; habens hoc cum ipsis astris commune, ut nun-
quam

quam sistat gradum, antequam cum eorum regionibus terminetur, ita ut illa orbem cœlestem, hæc vero terrestrem pervagetur. Ut itaque jam *Tua Magnificentia* famam suam latè per orbem diffuderit eo nomine, quod immortalibus suis laboribus, tam huic, quam posteræ ætati consuluerit, & cottidie consulat, ita ulterius adhuc limites ejus extendit, cum oneri huic tam gravi caput suum supponere non detrectet. Grave non sine causa dixi, cum singulorum discipulorum curam *Tua Magnificentia* ita sibi proponat, ut quosdam ad parvum inclinantes revocet ad rectum, quosdam efferatos permulceat, & mitioribus ingeniis imbuat, quosdam corrigat, quosdam juvet, quæ certe singula non sine labore ac sudore perficiuntur. Interea vero dum hæc tam grandia aggreditur *Tua Magnificentia*, omnibus virtutis litantibus & in sapientiæ callem iter adornantibus, obsequii illam gloriam, quam ex debito *Tua Magnificentia* præstare tenentur, relictam esse puto. Nam ut hoc ex Plinio mutuari mihi liceat, juvenum præcipua prudentia est, alios prudentiores arbitrari, præcipua Eruditio discere, duci, moneri velle. Quorum si quis nec ætati alterius, nec auctoritati ut minor cedit, neminem veretur, nulliusve consilium nunquam salubre satis accipiat, sed in suo fastu ac astu opinionis tantæ cæstro percitus pergit; is præterquam quod iram Divini numinis in se provocet, etiam suis ipse commodis obstat ut qui maxime. Quippe verbis ac judicio sapientiæ Phosphori Senecæ maxime necessarium est juventuti Regi. Ut etiam hoc Eloquentiæ fontis Ciceronis fuit effatum, quod nullum unquam majus meliusve munus ei potest præstari, quam si auctoritate superiorum ac imperio intra limites officii virtutisque contineatur, his præcipue moribus ac temporibus, quibus licentia, celsiores verecundiæ calles supergressa dominatur ac furit; Alias sane citissime evenit, quod in juvenæ face constituti per plurimi, per plurimis voluptatibus illecti ac allecti, à regia illa, quam deberent ingredi, via, aberrant, & sic per devia quævis ac præcipitia ferantur: Præter inconstantiam illam magnam, qua quidam volvuntur cum sole, circumferuntur cum luna, hærent cum fixis, cum erraticis errant, & quocumque denique pendentes eorum animos fert fortuna sequuntur; ni superiorum reverentia & memoria accedat,

dat, quæ efferos & incompósitos hos naturæ motus, rationis gyro
corrigat & coarceat: quæ peiora destruit, & meliora naturæ semi-
na, suis latebris abstrusa, singulari industria evocat, producit. Ex-
clamemus iam proinde singuli uno ore, una voce, & gaudio huic
novo intenti, gratias illis offeramus immortales, qui Ducem tan-
tum ac Ductorem nostris Athenis dederunt. Ad cujus monitum
tanquam ad Polum certissimum, omnium nostrorum cogitationes
converti debent ac dirigi. Et si hoc fecerimus nullum dubium est,
quin à parte sua *Tua Magnificentia* pro nobis laboret, nostrumq;
commodum unice promovere tentet. Quippe quæ ut labori est na-
ta, & labori est dedita, ita nec unquam labori succumbit. A parte
vero nostra, nostrum erit labores hosce *Tua Magnificentia* depre-
dicare, & semper obedientiam discipulis veris dignam præstare.
Quod cum dixerò, nè dum gratus esse laboro, molestus fiam, finem
facio. Et si unquam precibus sit pondus, æthera iis onerabo, & ca-
lida vota votis jungam, ut D. T. O. M. *Tua Magnificentia* admi-
nistrationum auspiciis adesse velit, felices successus tribuere, &
Tuam denique *Magnificentiam* quam diutissimè nostrum delictum
servare. Quod roget

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

devotissimus cultor

PETRUS RING.

